



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore
distinctus

Chokier, Érasme de
Coloniae Agrippinae, 1684

25. Quæ beneficia dicantur exempta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

QV AESTIO XXV.

Quae beneficia dicantur exempta?

SUMMARIUM.

1. Episcopus confert beneficia suae Diocesis. 3. Duplex eorum species.
 2. Beneficia exempta quae dicantur. 4. Differentia inter beneficia reservata & exempta.

Praemitto, quod licet Pontifex habeat ordinariam potestatem omnia totius mundi beneficia conferendi c. 2. de prebend. in 6. Clem. 1. ut lite pend. c. cuncta per mundum 9. q. 3. latissime lo. de Selya tract. de beneficio par. 2. qu. 1. n. 34. & seqq.

- Tamen concessione speciali & iure velut proprio Episcopi omnia diocesis suae beneficia conferunt, ex quo ea omnia sub Episcopi potestate constituta esse censentur, ac retro de iure praesumantur, c. noverint. c. regenda 10. q. 1. c. omnes Basilica 16. q. 17. Rebuff. in praxi benefic. part. 1. tit. de unionis revocatione n. 18 Gasp. de Perusio tract. de reservat. benefic. in pr. n. 1. 2. & seq. lo. de Selya d. par. 2. q. 22. Late Fel. in repert. verb. Ecclesie sine fol. 40 col. 4. & fol. 41. Rom. conf. 429. Ant. de Pratu tract. de iurisd. Episcopi c. 1. n. 1. & 2. Flaminius de resign. benefic. par. 1. li. 17. q. 14. n. 2. Nisi tamen ut alias scripti, de aliqua beneficij exemptione doceatur supra lib. 1. q. 8. post. pr. Itaque exempta beneficia non inepte describi possunt ea esse quae cum sint in diocesi, sunt tamen ab Episcopi seu diocesani collatione erepta seu exempta v. infra q. 27 n. 4. quae traduntur esse in duplici specie seu differentia, quaedam scilicet & quidem proprie quae soli Papae eiusve collationi sunt subiecta, alia & magis improprie quae exempta quidem a proprio Episcopo, verum subiecta sunt alteri quidam proprio Praelato exempto cum suis membris Petr. de Vbaldis de permutat. benefic. par. 2. q. ult. n. 27. & seq. Petr. Andr. Gammarus in c. 1. n. 1. 148. vers. Septimo quaeritur de permut. in 6. Flam. Paris. tract. de resign. benefic. li. 2. quest. n. 5.

- Porro, licet beneficia haec exempta plurimum symbolisent cum natura beneficiorum reservatorum, re tamen & substantia protus inter se differunt. Ratio est, quia Pontifex confert beneficia reservata tanquam communi iure affecta, & spectantia ad collationem alterius, At vero exempta, confert tanquam ordinarius & tanquam is ad quem ordinaria illorum collatio spectat Aeneas de salcomibus tract. de reservat. benefic. q. 2. principali vers. secundus casus n. 12. vers. sexto de beneficijs exemptis. per c. fin. de renunt. Praeterea reservatio fit ne ordinarius in collatione praevenerit in collatione autem beneficiorum exemptorum non est periculum praevencionis ex quo Pontifex sit ordinarius collator Aeneas d. quest. secunda n. 9. vers. primus casus.